

De auxilio in montibus, pars secunda

Duos ante annos David et ego cum amicis in montes convenimus qui illo exercitio corporis quod "canyoning" appellabatur frui solebant: lapsus aquarum in montibus sive saliendo et natando sive funibus descendendo superandi sunt. Ex libro quo multae fauces montium ad 'canyoning' aptae numerabantur unam voraginem elegimus quae satis facilis descensu dicebatur cum nullis funibus uti oporteret.

Salientes de primis lapsibus aquarum descendimus dum repente timore capta constiti: proxima cataracta tam erat angusta ut ex summo saxo stagnum infra cataractam situm videre non possem. Perterrita diu cunctata sum, mecum volutans num saltus in illam faucem profecto bonum esset consilium. Sed cum et amicos meos et socios aliorum gregum sine ulla cunctatione salire viderem, denique animum colligens me in praeeeps dedi. Bene illum dolorem atrocem recordor cum in aquam inciderim: me nimis procul saliente pes saxum sub aqua submersum impulit.

Martinus cum me magna voce clamantem audivit statim natans advenit et me num membra sentire possem rogavit: postea se ne fracturam spinae paterer timere confisus est. Pede tumido examinato me in valetudinarium ferri debere constituit. Sed quomodo? Aditus ad cataractam saxis altis erat obstructus. Dux alius gregis nobis suasit ut de cataracta descendere pergeremus dum ad planitem quandam per venturi essemus qua helicoptero arcessi possem. Nulla alia via salutis patente cautela infinita funibus (quas Deo gratias nobiscum tuleramus) de proximis lapsibus aquarum descendi et stagna natans transii amicis adiuvantibus quoad cataractam relinquere potuimus. Mihi ipsi maledicens genibus et manibus semitam repsi donec tandem usque ad illam planitem desideratam adveni qua femina ex helicoptero fune demissa me expectavit. Cum se me ad funem vinctam sub helicoptero pendentem ex montibus elaturam esse explicaret me calamitatem meam mecum volvantem animum non bene intendere animadvertisit. Me timore captam esse credens funem valde securum esse affirmavit. Amare subrisi: si in cataracta ab initio funibus usa essem, pedem fractum mihi non fuisse deplorandum!